obſequium præſto eſt. nulla cicindela, nullus æſtrus, nulla muſca tuum conceptum ſua infeſtatione abrumpet. aut inquieto volatu ſcribentis ſe calamo inſinuabit. cadit ſine ſtrepitu nix lanâ mollior, levior plumâ, lacte candidior, ut ſanè tibi parcere, obſecundare, adiumentoque eſſe videatur. omnia ſunt pacata, quieta, et tranquilla omnia, et ad incumbendum ſtudijs ita accomoda, ut plus intra horæ ſpatium eo tempore, quàm in æſtivis ardoribus intra diei, aut totius nonnumquam hebdomadæ præſtiturus ſis. Quod bonum cum adeò ita nobile ſit, præſtans ac utile inprimis ſit, ut à viris doctiſſimis numquam ſatis commendari, ab indoctis, quod eo careant deplorari dignè ſciamus; cum etiam ita iucundum ſit, ut æſtatis delicias incredibili ſua ſuavitate ſuperet, fructu ſuo, eoque optimo ac præſtantiſſimo tam fœcundam, ut fertilitatem autumni longo poſt ſe intervallo relinquat; tam denique neceſſarium noſtris præcipuè temporibus ut panis viniique neceſſitatem adæquet, ſi inquam hoc ſolum boni hyems ſemel adferret, ut ad ſcientias divinas, humanasque maximè promovendas, adiumenta tot, tamque opportuna præberet, meo quidem iudicio, non tantum non vituperanda, ſed ſummoperè laudanda, optandaque foret mortalibus. Quid? quod ad virtutes omnes acquirendas aptiſſima ſit: ſive enim ornatiſſimo virtutum pulcherrimarum choro teipſum veſtire, ac veluti ſatellitio quodam florenti